

R.K.
409
2

B.M.

II m
8858

MEMORIAE
NOBILIS IOACHIMI
RANZOVII, EQVITIS
HOLSATI, DOMINI
IN SMOLDA.

Ἰωάννης Ρανζοῦ ἐπίσκοπος. *Γρηγόριος.*
JOANNIS CASELII.

Jo. Caselius.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ROSTOCHII

In Typographia Augustini Ferberi Filij.

Anno M. D. XIIC.






NOBILI CASPARI RAN-
ZOVIO, EQVITI HOLSA-
to, domino in Smolda.

S. D.

JOANNES CASELIUS.

 *Q*uod scire cupiebam, ex litteris
tuis cognovi: quod mearum
partium esse indicabam, & tibi
quoque placebat, prestiti. Ecce enim
enim tibi orationem funebrem,
germano tuo à me conditam. Quo in munere
me ita gero, ut quod debeo amicitiae, persolvam,
sic ne veritas sibi à me iniuriam factam que-
ratur. Quin parcius amicum laudo, ne quam
malevolentiae calumniandi studio hoc erga vos
meo occasionem praebeam. Etiam eos odio di-
gnos censeo, qui assentando, aut res singulares
affingendo, orationis suae fidem eleuant, & to-
tius

tius huius generis minuunt: tametsi ea consue-
tudo tam vetus et inueterata est, ut illud ipsum
vitio vix cuiquam vertatur. Mea est alia,
Et graui viro digna ratio, à qua latum un-
guem mihi non discedendum puto, ut vera nar-
rem: quorum praestantiam Et pulchritudinem
libens etiam ob oculos ponam, si ea sint orationis
meae diuitiae. Quod si quis, siue in ipsa oratione,
siue in ijs, qui rectè laudantur, alia insuper re-
quirat; is Et in se non pauciora desiderari me-
minerit: Et in mortalium nemine quidquam
absolutum esse sciat: siue ille perfectus habeatur,
Et omnes numeros cum officij tum temporis ab-
soluisse videatur. Nec falso vero is laudatur,
in quo virtutis igniculi, semina sapientiae: cuius
deniq; magna fuisset expectatio. Sed lege,
qua scripsi, Et cognosce, Et iudi-
ca. Vale Rostochio. Kal:

Maijs. Anno

1588.

A 2

Oratio

ORATIO.

Sapientes etiam censuerunt, fas esse, quod & facile est, unumquemque laude sua afficere, in quo simulacra virtutis appareant: ego nec æquius quidquam, nec facilius esse puto, quàm virtute & sapientia præstantes, oratione prædicare, nisi hoc nomine difficile arbitremur, quod tantam rem verbis illustrare arduum est, & eius denique, qui dicendo valeat plurimum. Nec vero etiam quis iniquum iudicet, quod itidem in proclivi est, eum quoque laude afficiendum non vulgari, qui in spacio virtutis & sapientiæ, non iter, quod currebat, deserens, sed à vita desertus, conciderit. Dubium enim de hoc esse non potest, quin idem aliquando metam contigisset, si per fatum licuisset. Certo enim ex hoc certamine unusquisque palmam reportat, quod secus fit in alijs certaminibus, ubi ex cursoribus unus solum victoria potitur, ceteri ad unum omnes spe excidunt. Etsi autem gloriam nulli inuideo ex virtutis & sapientiæ cultoribus: tamen hoc laudandi munere inuitus sanè fungor. Semper enim hic labor scrupulum habet, qui animum meum non leuiter urgeat. Etenim ne ipse quidem homo mihi videar, nisi amicorum & præstantium hominum obitu

obitu afficiar. Nec vero parum me commouit hic
nuntius, quem mense Martio accepi, de morte Ioa-
chimi nostri Ranzouij: non solum quod ille me coluit
ut hospitem, ut amicum, ut optima ad vitam ratio-
nis auctorem, mihiq; multis honestissimis nominibus
contra carus fuit, sed etiam quod matri cuius lacry-
mis valde moueor, nouus ille luctus, & grauissimus,
& pene intolerabilis: quod item fidelium cultorum
studij bona & elegantis doctrinae numerus minutus,
quem augeri mirifice cupio, ut omnes boni. Nihil
enim magis ex usu publico, nihil magis ex dignitate
generis mortalium. Ipsi autem Ranzouiorum
genti principatum in ordine equestri caetera apud Hol-
satos sine inuidia ipsa tribuunt: nec ea solum patriam
longe lateq; amplexa est, sed traduces quoq; misit in
florentissimum regnum Daniae. Sed historia quoq;
dignitatem, opes, praecleara facta & consilia Ranzou-
uorum, longinquis populis & futuris seculis denun-
ciat. Est autem in utrisq; illis solida laudis pluri-
mum, quod quaedam per se bona, quaedam usurpatione
bona. Gentis porro Ranzouiorum originem &
amplitudinem exponere non necesse habeo. Res enim
nota, & pene omnium oculis exposita, quemadmo-
dum ab annorum quadringentorum memoria, &
haud dubie pluribus etiam ante saeculis, Ranzouij
floruerint, & hodie apud reges, principes, ordinem

equestrem, & claras respub. auctoritate & opibus
maximè floreant, præcipuè quoq; instructi veris bo-
nis, quibus illa quàm rectissimè comparantur, &
quàm diutissimè conseruantur. Cum autem tres com-
memorentur huius gentis auctores, non primi quidem
illi, sed tamen clarissimi, Otho, Godeschalcus & Ca-
ius; ab Othone descendunt, de quibus hic potissimum
agendum est. Etenim Ioachimus hic noster proauum
habuit Ioannem Ran Louium, Othonis illius prone-
potem. Memoratu dignum de Ioanne, siue Ioannis
filijs, quos ille septem suscepit, & egregios, ut ille in nu-
mero & præstantia liberorum felix non iniuria præ-
dicetur. Rarum siquidem hoc & magnum, quod o-
mnes apud reges Danie, Fridericum primum &
Christianum tertium gratia & auctoritate ualue-
runt, ut illis vel in regia à consilijs fuerint, vel maxi-
mas legationes obierint, vel vicem regiam in prouin-
cijs gesserint. Horum maximus natus Caspar in
Smolda sedem habuit: Henricum & Ioannem filios
reliquit. Henricus animo magno erat, & adole-
scens cupidè, viuo, nec improbante patre, in Galliam
& in Italiam militatum abiit, nec iam opes, quarum
non egebat, sed gloriam in patriam reportauit. Neque
enim in quibus magnus animus, pecunie cum primis
student: nec res verè magnas quis potest gerere, ut
opes simul cumulet. Cum longè gentium de morte
patris

patris nuntium accepisset, domum soluta militia sibi
redeundum censuit. Reuersus sedem fortunarum in
Smolda fixit. Vxorem duxit feminam lectissimam,
nobilissimorum & praestantissimorum fratrum Blo-
miorum sororem Heluigem Blomiam. Ipse autem,
quamuis munificus & magnificus, tamen erat rei
familiaris perquam studiosus, quae primae partes pa-
trisfamilias putantur, neque sanè ultima sunt, sed se-
cunda post rectam vitam domesticam rationem. Quin
rectè quoque hoc fieri, dubitare nemo potest, ut quem
magnos quotidie sumptus facere oporteat, quiq; simul
nomen viri boni & iusti in ciuitate tueri velit; sum-
ma diligentia omnia domi administret, neque quid-
quam in cultu agrorum, ceterisque partibus rei fami-
liaris negligat, aut negligi patiatur. Sed cum suscepis-
set ex Heluige filios tres, non ita animum adiecerat
ad augendum patrimonium, ut eos quàm ditissimos
faceret, ut est plurimorum patrum stultitia: sed ante
omnia sibi dispiciendum, consilio videndum, & sum-
ptu perficiendum putabat, ut statim à pueritia bonis
moribus erudirentur, qui maxime deceant genus, cum
deprauatis deformetur, & ut bonis litteris imbue-
rentur. Itaque accersitum ad se Iacobum Stintium, vi-
rum grauem & eruditum, filiis praefecit, cuius cura
& diligentia proficerent, & primum Caspar natus
maximus. Hunc cum magistro in academiam no-
stram

Stram misit, ut apud nos plenius hauriret, quæ degu-
stasset domi. Libenter hinc erant, & officium facie-
bant, quod affirmo non temerè, cuius in edibus vixe-
rint: nec Caspar aliud cogitabat, quàm institutum
persequi, & à nobis confirmabatur quotidie: nec eum
hinc auocabat mors patris, cuius imperium hæctenus
fuerat secutus. Accidit tamen cum alijs, tum ipsi
incommodè, ut hinc contagio pestilenti eijceretur.
Non sponte enim cedit, qui abitu salutis consulit. Ne-
que tamen non Stintium audiebat domi, donec ille
ab Ioanne, duce Holsatiæ, accitus fuit, cuius filios eru-
diret, in quo se ita principi suo probauit, ut idem mu-
nus etiam hodie gerat. Caspar igitur deinceps domi,
& litteras colit, quum placet, & arti equestri studet,
ut æquales: quorum neq; hoc possum reprehendere,
neq; non illud prædicare magnopere debeo. Alterum
enim eius ordinis est proprium: alterum qui faciat,
se re ipsa loco constituat, qui primus est mortalium:
quod non de vulgi, sed de sapientum iudicio dictum,
ut qui hac de re & de sese soli iudicium facere possint.
Secundus natus erat Ioachimus, tertius Ioannes: u-
triusq; curam gessit paternam simul cum materna
mater. Quam mulierem non solum laudare debeo,
sed etiam admirari: quod in ea desiderem, si repre-
hendam; sexum ego, non illam, videar reprehende-
re: quin viri sæpe rebus aduersis & præcipuè suorum
mor-

mortibus franguntur: nec his ignosci, iniquum putamus. Catero qui Heluigis illa, non solum pollet omni virtute muliebri, quam in primaria femina requiras, sed etiam in multis alijs virili sapientia præditam animaduerti. Non dicam de re hortensi, de pecuaria, de cultu agrorum, de omnibus œconomia partibus. Non solum de his, quæ cum pluribus habet communia, eam audiui, sed de alijs quoq; quæ pauca queunt considerare, de corruptione morum iuuentutis, de educatione liberorum deprauata. Quam partem ciuilibus scientiæ non postremam cum intelligeret, deum immortalem! quam sollicita semper fuit de filiorum valetudine, salute, vitæ ratione, quod ipsa mihi verbis, nec, ut aiunt, in ore natis, sed ex animi fonte deriuatis, significabat: quod item litteris, & antè testata fuerat, & porro testabatur. Quod maritus egerat, cum in viuis esset; id ipsa non minus rectum esse sentiebat, & pari deinceps studio agebat. Itaq; de meo consilio, iuuenem mihi spectatum Otho-nem Grummerum, Græcis litteris præditum, tum Latinæ potissimum eloquentiæ, nunc etiam disciplinæ legum non minus deditum, dedit filio Ioachimo custodem salutis & ducem in litteris. Flagrabat enim Ioachimus amore elegantium doctrinarum: etsi erat valetudine perquam tenui, corpore tam gracili, quàm procero, ut puerilior esset, quàm videretur,

B

adhuc

adhuc in pueritiæ annis, aut primis adolescentiæ con-
stitutus. Tertio autem ab hinc anno, annu agens iam
XVI. ex Holsatia Rostochiũ cum Othone venit, ut
in hac schola Megapolitana, non inferiore vel cele-
brioribus, litteras coleret. Eodẽ domi meæ erant loco,
quo fuerant Caspar et Stintius: neuter officiu negli-
gebat, quid Otho promptus ad docenda, Ioachimus
ad discendum impiger: nec erat hac in parte me mo-
nitore, vel quasi ephoro opus. Nec enim ulla pars est
studij sapientiæ, quam despiceret, vel potius, quam
non magni faceret noster hic Ran Louius. Non di-
cam de singulis, ne hæc pingere potius videar, &
multum dicere videri velle existimer. Per erat cu-
pidus geometriæ, musicæ, poëticiæ, Græci etiam sermo-
nis, quem qui adspernantur, non obscure indicant, se
& laborem discendi pati non posse, & eruditionis
specie esse contentos: qui amant & discunt, sitiunt
fontes sapientiæ, & hanc cæteris omnibus antepo-
nunt, uti sapientiæ studiosum profectò decet. Sed
quia nemo omnia simul facere, nec ille per ætatem
simul multa poterat, nec si conaretur, id probauisse-
mus; perlustrabat ille quidem sæpe varios disciplina-
rum campos, sed tamen cum ordine erat in studijs, &
quidem in his, ad quæ maximè natura ferri nobis
videretur, quoniam ijs capiebatur maximè. Nam-
que Latinos scriptores, quos classici vocant, legebat
sedulo,

sedulo, & laborabat, & in hoc laborari volebat, ut
eos rectè intelligeret: quos pleriq; aut supinè legunt,
aut non legunt, nedum sermonis splendorem & sen-
tentiarum acumen videant. Hoc ordine fecit, cum
eloquentiæ studio valdè teneretur. Præter hanc, &
huius ipsius & sapientiæ quasi propinquam seu con-
sanguineam, amabat historien, cuius lectione satiari
non poterat. Deniq; magis incumbere lectioni,
quàm iuberetur, aut deplorata, ut non falso suspica-
bamur, illa valetudo ferret. Namq; ei sæpe, idq; ex
breui intervallo, modo dierum, modo horarum,
è naribus, & copiosus interdum sanguis destillabat,
ipsaq; venula raro sponte, tardiusculè medicamentis,
coibant. Quid hinc diuinaret, non iam medicus ali-
quis, sed quivis alius? quid nos, qui hanc calamita-
tem quotidie spectaremus? Tandem visum fuit
Brucæo, medicorum apud nos principi, ut de virtute
& doctrina hominis hic non dicam: ei visum fuit,
quoniam de morbo inter cutem erat certum pericu-
lum, cuius principia medicamentis, ut poterat, prima
iam vice suscipisset, ut Ioachimus in conspectum at-
que respectum sollicitæ matris remitteretur, qui an-
num iam apud nos vixerat, si forte domi suæ otiosior
amœnissimo anni tempore se colligeret & confirma-
ret. Sic enim sperabamus, quod non ita facile mor-
bis & morti manus dat iuventus: quin ipsa cum

multiplicibus & grauissimis sæpè luctata, palmam
reportat, valetudinem videlicet & vires corporis.
Gratum hoc erat consilium mihi, qui leuaret cura
non leui: gratum matri, quæ non ignara inualetudi-
nis filij tristis nuntij metu indies cruciaretur. Non
ita multis exinde mensibus, cum mei negotij causa in
illam viciniam venissem, visum fuit, fratres Ran-
Louios in Smolda visere. Idem placebat comiti
nostro, illorum æquali & sodali Eugenio Colonio,
iuueni perquam nobili & fortunato, summa virtu-
te prædito, & summa doctrina, atq; his nominibus
mihi eximie carissimo, cuius non sine graui animi
dolore meminisse possum, quòd tantum patriæ decus,
anno sequente, qui nondum hodie annus est, ad Ba-
sileam Rauricorum Rhenus absorpsit. Venimus
igitur hospites gratissimi: vidimus Ioachimum, con-
ditione nihilo meliore, quàm hinc abierat: matris me
miserebat, cuius tamen sermones, quorum antè men-
tionem feci, audiebam attentè & magnoperè mira-
bar. Hærebat illa animi, quid de filio statueret,
cuius neq; mentis animiq; culturam domi negligi,
neq; vitam foris perire volebat. Cum vincerent
rationes, ob quas educandus esset alibi, neq; tamen
longius ablegandus: me obtestabatur, ad quem reuer-
surum diceret, facerem omnia, quæ in me essent.
Neq; vero quis amplius mandare possit, neq; pro-
lixius

lixius de se polliceri. Factum fuit quod in febris solet, ut corpora de lecto in lectum mouentur, ita hic valetudinarius de loco in locum transferretur, spe non optima, sed aliqua tamen. Aderat redeunti Otho, sed de consilio patris iam ille Suanthoni Bielcio, Baroni Suetico operam suam addixerat: quicum in Germaniam veniret, & longinquas deinceps terras, prout esset commodum, adiret: quod iam etiam agitur. Etenim hodie apud nos sunt, & rationibus suis deinceps, uti volent, consulent. Fecimus, ut Ioachimus nihil tamen desideraret, qui porro haberet secum modestum & eruditum iuuenem, Fridericum Corfinium, cuius etiam consuetudine delectaretur. Quanta diligentia ille tractauerit porro litteras, hic explicandum existimarem, nisi potius esset narrandi locus, quam colere eas, proh dolor, minime potuerit, etsi neq; sic desinebat. Discebat iam, quod pleriq; ignorant, multi ignorare malunt, quam recte sentire, ne aut recte uiuant, aut se ipsi erroris in vita condemnent: discebat in ceteris, multa bona haberi pro optimis, quae bona forte non sint, vel certe nullo iure ad prima referri queant: diuitias non esse caput, neq; cor vitæ, neq; animam: ex opulentis aliquos sine capite, & truncos esse, & excordes siue vacordes, & ut quidam ex Gracis scripserat. fori statuas: imagines item maiorum, si sine nostra virtute sint, esse

opiniones & fumos: immo vela saepe contumeliae & iniuriarum: non tamen nihil esse nobilitatem, & licere eam, quae vera sit tamen, praeseferre. Hoc autem etiam non tam bonus, quam hac in re fide dignus, Phalaris ad Axiochum quendam scripsit, ut nos interpretari potuimus.

Efferre se, inquit, quemadmodum ob aliam aliquam rem praeclearam, etiam ob nobilitatem licet. Ego vero unam nobilitatem agnosco, virtutem: caetera omnia, fortunam. Ac fieri possit, ut ex vilibus nascatur praestans, & ipsis regibus adeoque omnibus nobilior. Qui vero ex praestantibus vilis, & se ipso & abiectionissimis ignobilior est. Itaque Syracusis ostenta laudem animi, non maiorum nobilitatem, in inglorijs minoribus demortuam.

Hac tyrannus ille, quibus consentanea & philosophus diceret. Sed nos sapientiae praecepta hic explicare non instituimus: in ea digitum intendere licere arbitramur. Ea cum audiret quotidie, cum legeret noster hic, de quo agimus: quae in prima adolescentia adipisci omnia non potuit (litteras enim, quae virtutem pollicentur & sapientiam, longo demum spatio sibi comparant etiam ingeniosissimi quique) adepturum fuisse, si longior ei vita contigisset, quis dubitet? Pectus enim sui cultoris Musae fideliter abluunt, & omni denique virtute imbuunt. Quod
si quis

si qui in litteris diu multumq; versati, non assequun-
tur; non litteras coluisse ex animo, sed quiduis potius
aliud spectasse, quam sapientiam, credibile est. De
hoc spes erat eò maior, quod per se amabat litteras, ac
iam primarum virtutum fundamenta iecerat: Et si
qua re aberraret, ut est etas adolescentiæ lubrica;
Et moneri se patiebatur, Et recte se monitum agnosce-
bat: qua in re fidem meam apud matrem Et diligen-
ter Et verè predicauerat. Quam vero ego religiosè
seruo, Et quibus dedi, Et quibus non dedi. siue de stu-
dijs doctrinæ, siue de moribus monenda est iuuentus,
ita tamen ne cuiquam me obtrudam, Et abhorrentes
à meis consilijs facile relinquam. Nec enim impe-
rium in quemquam usurpo, sed beneuolentia Et ra-
tione, nec semper ea melle, sed interdum absinthio, sem-
per vero sale condita, ago, quod mei officij esse iudico.
Unde capio hoc commodi, ut consuetudinem meam
nemo fugiat, nisi qui aut doctrinam auersetur, aut
modestiam abiurauerit, aut ita sibi sapere videatur,
ut nostro se consilio minimè egere arbitretur. Multi
enim sunt, qui vel magistros habuerunt concisæ cuius-
dam garrulæ, ac sophisticæ deniq; eruditionis, vel suo
magisterio umbrâ sapientiæ et diuitias fastus sibi cõ-
pararunt. Alia aliorum ratio est, qua ipse non utor,
siue non rectam esse censeo, siue quia alienior est à na-
tura mea. cuius lenitatem, asperiores tamen quibus-
dam

dam videri, facile patior, neq; ita iudicantibus irascor, egregia mea voluntatis erga litteras & omnes, qui Musis nomen dedisse visi sunt, mihi conscius. Porro deinceps casu magis accidit, quam consilio, etsi nihil magis consultum fuisse euentus ostendit, ut ad matrem proficisceretur Ioachimus, nosq; hic graui cura, quam ex metu summi periculi, in quo dies noctesq; eius salus versabatur, abitu suo liberauit. Domi autem & litteras sedulo coluit, nec finem legendi aut modum sibi posuit, & amicos etiam absentes, ac me cum primis coluit: quin paucis etiam ante diem fatalem, ipsisq; ut rationem in eo, morbi diebus, litteras ad me, tum profectus minimè aspernandi, tum sui in me perquam beneuoli & grati animi testes, satis locupletes dedit, nec indignas ista etate, nec nostra disciplina, nec gente Ranzouiorum.

IOACHIMVS RANZOVIUS
Ioanni Caselio. S.

NON puto vlla mihi excusatione opus esse apud te, quod ad te rarius scribam. Nam, tum demum audacter facere & ipse mihi peccare viderer, si tanti me facerem, ut tibi, tanto viro, tantis assidue occupationibus impedito, frequen-

frequenter litteris meis obstreperem, tamen
cum te singulari humanitate & prudentia pra-
ditum esse, & amicorum litteris delectari sci-
rem (quorum in numero esse semper exoptavi)
facere non potui, quin te hisce litteris pro ne-
cessitudine nostra interpellarem. Nam si tem-
pus ad te scribendi usq; eo differre voluisssem,
Caseli, dum par à me aliqua tuis erga me plu-
rimis maximisq; beneficijs reperiretur oratio;
magnopere mihi metuendum erat, ne in eo qua-
rendo, quod nunquam consequi possem, inani
ipse me labore torquerem, & immodica silentij
diuturnitate suspicionem tibi aliquam angusti
& humilis animi afferrem. Cum igitur diem
assiduè ex die ducens, sine dubio diutius, quàm
quam par fuerat, reticuissem, obstupescens
admiratione tam beneficentia, tamq; proluxa
voluntatis tuae, qua me semper domi prosequu-
tus es, confirmaui me tandem, & ad haec pau-
ca quomodo possem, scribenda me contuli. Nam
ingratum me diceres pro tot & tam maximis
tuis in me beneficijs, si te plane silentio prateri-
rem

C

rem

rem. Hanc vero tuam benevolentiam summam maximamq̄, qua me semper domi forisq̄ profecutus es, cum nulla ratione aut re superare possim, conseruabo tamen diligenter memoriam eius humanitatis, qua tu in me immerentem, tantusq̄ vir complexus es, utq̄ hac necessitudo, familiaritas, amicitiaq̄, qua ex ea die, qua te primum vidi, incipit, sanctè atq̄ incorruptè inter vos maneat, quantum in me erit, modis omnibus operam dabo. Mater tibi salutem dicit. Si me amas queso quam breuissimè rescribas. Si quid noui apud vos erit, aut si nuperrimè à te editum: pro munificentia & consuetudine tua mecum commu-
cabis. Vale. VI. Kal. Martij.

Dolerem non statim rescripsisse, si illi meæ litteræ reddi potuissent: sed pridie ipse diem obierat, quum ipsius litteras legi. Cogitabam tamen, omnino, cum mihi esset commodius, etiam diligentius respondere. Libenter enim confirmo iuuentutem in tam laudabili cursu: & opus esse censeo maximè, quòd quæ auocent inde, suauia multa ab omni se parte o-
sten-

ostendant, quiq; auocent improborum maximus hic
prouentus, exemplo monentium, uerbis etiam cogen-
tium. Interea uero, dum litteræ in uia sunt, ille in
morbu incidit, et iam morbus inualuit: quæ erat ter-
tiana febris: qua ille tenuis iam pridem, maximè at-
tenuari uisus fuit: nec quieuit uetus malum, omnem-
que uitæ spem abstulit. Itaq; plurium horarum de-
stillatione sanguinis exhaustus, caduca, quæ hic possi-
demus, esse confessus omnia, rebus mortalibus nun-
cium remisit & quo animo, seq; ad iter cœleste parauit,
idq; mystico instructus uiatico, cum fide inter preces,
animam CHRISTO seruatori tradidit, pridie
idus Martias.

Hic ultimus Ioachimi uitæ, siue actum dicam,
siue exitum, sibi abitum, fuit omnium beatissimus, ut
iudicet, qui, mente remota à rebus mortalium, Deo se
toto animo addixerit. Nobis tamen, qui sensu ma-
gis, quàm mente uiuimus, aut si mente uiuere capi-
mus, hanc tamen ipsam omni rerum inferiorum sensu
non excepiamus. Hinc animi cruciatus, dolor, lacry-
mæ, querelæ, suspiria, quibus eos prosequimur, quorum
consuetudine suauiter frui soliti fueramus. Hoc mo-
do cum etiam in longinquis, sæpe item in alienis, quos
uirtute & sapientia præstitisse acceperimus, pane ad
unum omnes, simus affecti; facilius hunc errorem,
qui interdum nomine officij, humanitatis & pietatis

ac fortè non malè, tegitur, vel ornatur, feremus in
propinquis. Quanto igitur magis in muliere? in ma-
tre? alterum filium alterius anni initio deplorante?
alterius funus ante oculos videnti, si modo per la-
crymas ipsa videat? sollicita iam anxie de vita u-
nus tertij reliqui? Ego profecto dolens & obitum
optimi mihiq; carissimi adolescentis, qui beneuolen-
tissimus quoq; in me fuerat: nec minus dolens dolo-
rem Ran Louia, femina lectissima, consolatus eam
fui benè longa epistola, ut & superiore anno feceram:
quo studio, eius causa velim, me plurimum profecisse.
Sed intelligo, idq; cum nouo dolore intelligo, medici-
nam ferre vix posse, iamq; corpore etiam debilitatam
iacere, satis cum periculo. Nec tamen dubito, quin
& consolando & consulendo ipsi prae sto sint, quorum
hoc potissimum esse officium debet: spero etiam dicto
audientem fore sapientibus, neq; cum suo malo relu-
taturam diuinæ voluntati. Si quis & hoc querat;
elatum fuit, quo splendore fieri consuevit, corpus
Ioachimi in paternum monumentum, quod est in
templo Gicouiano, Smolda vicino, pridie Non. A-
pril. quo ipso die FRIDERICVM II. regem
Daniae, principem fortunatissimum & munificentis-
simum diem suum obiisse accepimus. Quod eo subie-
ci, ut quos proximè ille dolor attingit, in alios quoque,
& quidem quasi deos in genere mortalium, respi-
ciant,

ciant, neq; communem omnium hominum conditio-
nem impatientius, & iniquius ferant, quàm dignum
est ratione ornatis, & alterius æterna beatq; vitæ
expectationem fide alentibus.

F I N I S.

JOANNES CASELIUS, CASPA-
ri RanZouio, S. D.

Alter hic annus est, cum domum ve-
stram veni te absente, quem videre
equidem cum primis vellem. Te enim
è fratribus tuis primum vidi & amavi. Re-
cordaris enim, quàm mihi hic charus fueris:
nec minus deinceps animum meum perspexisti
ex ijs litteris, quibus te ad litteras reuocabam,
qua re & tuæ utilitati & dignitati maximè
consultum arbitrarer. Verum aut tibi aut a-
lijs secus visum fuit: etsi neq; sit eas abieceris,
quod litteræ quoq; tuæ ad me testatæ fuerunt, &
animus erga me idem. Non esset enim idem
animus erga me, nisi idem erga illas maneret.

C 3

Sed

Sed de doctrina & virtutum studijs alijs. Libenter autem vidi matrem tuam, feminam lectissimam, & supra conditionem sexus intelligentem, non solum rei familiaris, quam vidua sola rectissime vestroq; cum fructu amplissimo tueretur, sed etiam rerum gravissimarum. De alijs tacebo, quæ perperam geri, sapienter quebatur: de educatione liberorum, cum esset admodum sollicita, tum quoq; quid facto opus esset, perspiciebat ipsa. Nemini ex vobis defuerat: Ioachimum ad nos remissura erat: minimum natu educabat domi, & quo vos modo erudiri viderat, iubente patre, eodem hunc quoq; iubebat erudiendum. Non diligenter, sed anxie mihi commendabat Ioachimum, cui valde metueret ob perpetuam sanguinis è naribus defluxum. Securam enim eam faciebam, de cæteris. Erat enim litteris addictissimus, & lectioni impendebat plus temporis, quam probabam. Hic dum apud nos est, alter ille, cui metuendum non videbatur, inopinatò istic extinctus fuit. Quod cum accepissem, consolationem


nem

nem ad matrem composui: quid profecerim,
tu vidisti. Ægrè tandem, sed se collegit ipsa
tamen, quòd vos haberet, quibus niti videretur
tamen. Ioachimus casu, uti scis, magis,
quàm consilio, cum domum rediisset, ut cura
perpetua ipse leuaret; tecum in oculis matris
vixit, & vixit non ita multos menses. Quem
cum firmiter valere arbitrarer, & coniecta-
rem ex litteris, quas Id. Martij accepi, scriptis
diligenter, eruditè, amicè; paucis diebus post fa-
miliares tristem nuncium mihi exponunt,
quem ferret adolescens, istinc modo veniens.
Dolorem accepi grauem, quem augebat mater-
ni doloris consideratio. Nam & hunc pinxerat
multis verbis, cuiusmodi mihi videre viderer.
Non potui facere, quin ad eam quàm diligen-
tissime, eius consolandi causa, ipse quoq; in ca-
su hoc secundo acerbissimo scriberem. Etsi enim
sunt apud vos, qui hoc tristi & pio munere non
minus rectè fungantur: tamen sic existimo,
meam quoq; orationem, tum apud te, tum apud
matrem, aliquid ponderis habituram. Te ma-
gno

ax 77 n 8558 X2206323
gno animo esse oportet, & profundissimo huic
matris vulneri medicinam facere, tua pietatis
est. Quod perficies maxime, si eius lacrymas
& ciulatus feres, & dolenti dolorem quoque
tuum ostendes, neq; tantum facies, quod se velle
ostendet; sed quod ipsam velle suspicari etiam
possis. Cum enim semper imperio parentum,
parere liberos æquum est: tum pietatem suam
probare tempore tam necessario debent, nec pati
quidquam in se desiderari: quin operam da-
bunt, ut eorum, matris præsertim, expectatio-
nem in omnibus superent. Quod cum tu quoq;
facies; non tantum apud bonos tibi laudem in-
uenies moderati & pij iuuenis, sed diuinam
quoq; gratiam promereberis, ut bonis amplif-
simis, quorum tu nunc hæres solus relictus es,
corpore & animo pollens in vegetam senectam,
iucundè & munificè utaris, & eadem, nul-
la parte diminuta, tuis liberis in opti-
mos itidem usus relinquas. Vale.

Rostochij. Kal. April.

1588.



B.I.G.

Farbkarte #13

B.K.
409
2


B.A.

Πμ
8858

MEMORIAE
NOBILIS IOACHIMI
RANZOVII, EQVITIS
HOLSATI, DOMINI
IN SMOLDA.

Χρῖστὸς Πῖππ *Επιτάφιον* *Γ. Ρανζοβίου*
JOANNIS CASELII.

Jo. Caselius.



ROSTOCHII

In Typographia Augustini Ferberi Filij.

Anno M. D. XIIC.

